



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Svbscriptiones.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

paginam temerario ausu infringere, seu quibuslibet modis perturbare. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sacerdotalis persona id attentare præsumperit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem hanc nostram constitutionem eidem loco seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipient, & in futurum præmia æternæ pacis inueniant. Amen, amen, amen.

## S V B S C R I P T I O N E S.

Ego Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus subscripti.

Ego Conradus Sabinensis episcopus subscripti.

Ego \* Ymarus Tusculanus episcopus subscripti.

Ego Hugo Ostiensis episcopus subscripti.

Ego Gregorius presbyter cardinalis tituli sancti Callisti subscripti.

Ego Guido presbyter cardinalis tituli sancti Chrysogoni subscripti.

Ego Hubaldus presbyter cardinalis tituli sanctæ Praxedis subscripti.

Ego Manfredus presbyter cardinalis tituli sanctæ Sauinæ subscripti.

Ego Aribertus presbyter cardinalis tituli sanctæ Anastasia subscripti.

Ego Hubaldus presbyter cardinalis tituli sanctæ Crucis in Ierusalem subscripti.

Ego Guido presbyter cardinalis tituli Pastoris subscripti.

Ego Jordanus presbyter cardinalis tituli sanctæ Susannæ subscripti.

Ego Octavianus presbyter cardinalis tituli sanctæ Cæciliae subscripti.

Ego Astaldus presbyter cardinalis tituli sanctæ Priscæ subscripti.

Ego Rolandus presbyter cardinalis tituli sancti Marci subscripti.

Ego Gerardus presbyter cardinalis tituli sancti Stephani in Cælio monte subscripti.

Ego Ioannes Paparo presbyter cardinalis tituli sancti Laurentii in Damaso subscripti.

Ego Ioannes presbyter cardinalis tituli sanctorum Ioannis & Pauli tituli Pamphili subscripti.

Ego Centius presbyter cardinalis tit. S. Laurentii in Lucina subscripti.

Ego Henricus presbyter cardinalis tituli sanctorum Nerei & Achiliei subscripti.

Ego Oddo diaconus cardinalis S. Georgii ad Velum aureum subscripti.

Ego Guido diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu subscripti.

Ego Hyacinthus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedin subscripti.

Ego Ioannes diaconus cardinalis sanctorum Sergii & Bacchi subscripti.

Ego Gerardus diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Via lata subscripti.

Ego Odo diaconus cardinalis sancti Nicolai in carcere Tulliano sub-scripsi.

Ego Bernardus diaconus cardinalis sanctorum Cosmae & Damiani iuxta templum Romuli subscripti.

Datum Romæ apud sanctum Petrum per manum Bononis sanctæ Romanae ecclesiæ scriptoris, quarto Idus Aprilis, indictione prima, incarnationis dominicæ anno millesimo centesimo quinquagesimotertio, pontificatus vero domini Eugenii III. papæ anno nono. Locus plumbi.

## EPISTOLA X.

## EVGENII PAPÆ III.

AD ARNOLDVM ARCHIEPISCOPVM COLONIENSEM.

De iurium & priuilegiorum multorum archiepiscopo & metropolitanæ ecclesiæ Colonensis presbyteris canoniciis ante diu concessorum confirmatione.

*Eugenius episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Arnoldo Colonensi archiepiscopo, eiusque successoribus canonice substituendis.*

**I**N eminenti apostolicæ sedis specula, diuina disponente gratia, constituti, ex iniuncto nobis a Deo apostolatus officio, fratres nostros episcopos sincera caritate diligere, & ecclesiis eorum regimini & gubernationi commissis, suam debemus iustitiam conseruare. Sicut enim in humani compage corporis naturalis ratio singulis quibusque membris ad salutem prouidens speciales & proprios actus edocet, nobilioribus vero suam dignitatem conseruat; ita in corpore ecclesiæ apostolica prouidentia secundum sacrorum Canonum institutiones, vniuersas regit ecclesiæ; digniores autem & famosiores in sui status prærogativa custodit. Aequum itaque & rationabile est, ut suus vnicuique honor ecclesiæ, & propria iura munimine sedis apostolicæ confirmantur. Quocirca, dilecte in Christo frater Arnolde archiepiscopo, tuis iustis postulationibus benignum impertientes assensum, ad exemplar prædecessoris nostri felicis memoriae Leonis IX. papæ, beati Petri Colonensem ecclesiam, cui Deo auctore præesse dignosceris, sub ipsius apostolorum principiis, cuius in loco, licet immeriti, residere conspicimur, & nostra

*Concil. Tom. 27.*

Z. ij